



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Capvt I. Christum venisse propter nos homines, & propter nostram salutem, extra controuersiam est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)

LIBER TERTIVS

D E

DIVINO CONSILIO,

In Enigmatis propositi, siue compositi hactenus pertractati machinatione; Deque eiusdem ad lucem existentia educendi via, & modo.

Tractatio Scholastica, Emblematis sacris, & Allegorijs exornata.

 Væ hactenus circa ænigma diuinitus propositum sunt disputata, spectant ad eius essentiam, & quidditatem. Nunc quæ ad eius existentiam pertinent, consideranda sunt: non quidem probando hoc ænigma existere, quod initio Operis monstrauimus esse præsupponendum; sed per quas causas extrinsecas existerit, exponendo. Causas porò existentia, eas dumtaxat habeo, quæ externæ sunt; nam internæ Christi causæ, ad physicam eius essentiam, & compactionem substantialem essentialem pertinent; ideoque simul cum quidditate sunt expositæ. Externæ verò causæ quibus res essentialiter aliunde constituta, ad lucem existentia educitur, binæ sunt; nempe finis, & efficiens: quarum indiuiduum nexum & ordinem, ex physicis rudimentis omnes supponunt talem esse, vt tametsi finis sit asscuto vltimus, intentione tamen sit primus. Mouet enim & sollicitat agens vt ad effectum veniat. Quare agemus de Christi fine primo loco: Tum de causa Christi efficiente disputabimus.

S E C T I O I.

De Christi fine, causarum existentia eius, prima.

*I*N tractatione de Christi fine, quædam sunt certa, & extra controuersiam; vt Christum ad redemptionem nostram venisse, & existentiam accepisse, quod nemo difficitur. Itemque eius satisfactionem pro nobis, plenam atque perfectam fuisse. Hæc statuenda in primis erunt, & illustranda. Quam tamen re ipsa fuerit ad finem illum necessaria Christi existentia; & an hic fuerit vnicus Christi finis, respectu decreti quo Christus de facto accepit esse; & an excluso illo fine redemptionis humanæ, Christus ex alio fine exiturus fuisset per aliud D. vniuersum decretum, tunc interponendum, in controuersia est: & idcirco ad ista gradus potest fieri, expositis primis illis, quæ rata esse ac certa sunt.

C A P V T I.

Christum venisse propter nos homines, & propter nostram salutem, extra controuersiam est.

*R*ecolendum est quod ex fidei doctrina alibi stabilita habemus; nempe, primum hominem à Deo conditum, ex statu collatæ sibi sanctificationis

gratiæ, instigante dæmone, Deo autem ob altissimas causas permittente, decidisse verè peccantem ex arbitrio suo. Quæ enim rabies Theodorum Mopsuestenum corripuit, vt diceret referente Leontio lib. 3. contra Nestor. & Eutych. cap. 23. [Fictum esse peccatum Adæ, idque Deo Autore, vt iudicium iniquissimum in Adam, qui non peccasset, sed per calumniam damnatus fuisset; & exilium ei decretum, iusta & probabilis causa redimendi mundum fierent.] Hæc si verè effugit Theodorus, nã ille plusquam Maniacus fuit. Quot enim errores, & Athæismi in paucis his verbis addensantur.

Homo peccauit, & Deo iniurius fuit, post Angelum.

Verè ergo peccauit Adam, malè æmulatus Angelos præuicacitiores, & ipsos ante eum infelicitè prolapsos; & cum esset totius humani generis caput, omnes posteros suos eodem crimine inquinauit; quatenus violato per primum illum hominem pacto, quod cum Deo iniuerat, parendi diuinæ legi, tota posteritas quæ illo perstante gratiam in ortu suo consecutura erat, nascitur Deo inimica: nec tantum expers gratiæ, sed etiam obnoxia æternæ damnationi. Quam generis nostri cladem, omnipotentissima Dei bonitas, (vt loquitur D. Aug. l. de corrept. & gratia cap. 10.) præco-gitam non inhiuit, conuulsus arbitrata de malis bo-

na

na facere, quàm mala esse non sincere. Huc generali naturæ humanæ excidio, accesserunt singulares adulatorum casus, quibus actualiter peccando, cumulum primitivæ impietatis auctorem novis accessionibus fecerunt, & quod ex varijs capitibus ponderat S. Chrysof. hom. 9. in 1. Cor. gravius Adamo peccaverunt, & parentali labe iam absterfa, fecerunt se denuò gehennæ filios, decoquentes iteratò substantiam quæ eis à Patre obtrigera, omnique se iure ad gratiam quamcunque, etiam actuale, & ad gloriam spoliantes, violato per summam iniustitiam eo iure quod Deus summum in nos obtinet.

Esse potè peccatum quodcunque actuale, veram Dei iniuriam, atque adeò veram iniustitiam continere, probatum est in morali dist. 4. num. 239. & n. 406. Itemque lib. 4. de virtut. n. 353. Præclare idem confirmat Richardus Victorinus lib. de potest. ligandi & solvendi cap. 23. Nec quæ in contrarium profert Valsques 3. p. d. 2. n. 22 sunt reuera magni momenti.

Negat enim Deum posse à nobis pati iniuriam contra iustitiam quantumvis peccemus, quia Deum nulla in re lædere possumus, cum nihil ei emolumenti è creaturis proveniat, atque adeò neque damnum ab ipsidem provenire ei possit: alioqui in omni peccato esset duplex malitia, nempe, vna contra peculiarem aliquam virtutem, alia contra Deum. Hæc dixi, non esse magni momenti: quia Deus in honore suo, quod est bonum eius extrinsecum, violari à nobis, ac lædi potest, & verè læditur, saltem materialiter, quoties peccamus: tamen ea iniustitia & malitia, quia est transcendens, & per omnia peccata vagatur non solet expresse memorari, sed supponi: vt in simili seruari videmus circa gradus rerum transcendentales. Sed de his plura loco notato. Hic enim ea divini iuris violatio, Deique adversus hominem exasperatio, non probanda sed supponenda est; passimque eam sonant Scripturæ, & Patres inculcant, apertientes hominis malignitatem in Deum peccatis prædictam, & consecutam inde cladem nostram ab exacerbatò Deo.

Abiectus est in aeternum Angelus, tamen si erat reparabilis.

3. Non continuit tamen Deus in ira sua misericordias suas; sed hominem è misero illo statu erigere, & in gratiam suam denuò admittere, misericorditer statuit, non semel tantum, sed quoties labi contingeret. Quod beneficium restitutionis in integrum, negavit Angelis. Explodit enim Catholica Ecclesia Origenis fatuitatem, plene reiectam à Theophilo Alex. epist. 2. Pasch. affirmantis Christum pro demonibus passum. Neque sanè Verbum Dei inter Angelos, habitu inventum est vt Angelus, etiam si ita pronunciet Origenes hom. 8. in Genes. quinimò vt disertè habet Apostolus, Deus Angelos non apprehendit, quamvis & ipsi reparabiles erant, si Deo libuisset. Quod enim S. Anselmus l. 1. cur Deus homo cap. 16. & iterum lib. 2. c. 27. affirmare videtur, Angelos lapsos non potuisse à Deo redimi; non aliud probat quàm quod defuerit naturæ Angelicæ congruitas illa ob quam humana natura lapsa potuit reparari; quamvis si ita visum Deo fuisset, non defuissent rationes idoneæ quibus induci posset ad id præstandum.

Id verò dumtaxat, & nihil præterea ex discursu D. Anselmi haberi, perspicuum erit illum expendenti. Sic enim habet. [Diaboli reconciliationem, impossibilem intelliges, si diligenter humanam consideres. Sicut enim homo non potuit reconciliari, nisi per hominem Deum, qui mori posset, per cuius iustitiam Deo restitueretur, quod per peccatum hominis perdidit: Ita Angeli damnati, non possunt saluari, nisi per Ange-

lum Domini, qui mori possit, & qui per iustitiam suam Deo reparet, quod aliorum peccata abstulerunt. Et sicut homo, per alium hominem, qui non eiusdem generis, quamvis eiusdem esset naturæ non debuit relevari: Ita nullus Angelus per alium salvari debuit, quamvis omnes sint vnius naturæ, quoniam non sunt eiusdem generis, sicut homines. Non enim sic sunt omnes Angeli de vno Angelo, quemadmodum omnes homines de vno homine. Hoc quoque remonet eorum restaurationem: quia sicut ceciderunt nullo alio suadente vt caderent; ita nullo alio adiuvante resurgere debent, quod est illis impossibile: aliter enim in dignitatem, quam habituri erant, non possunt restitui, quoniam sine alio auxilio per potestatem suam, quam acceperant, steterissent in veritate, si non peccassent.]

4. Prima ratio his verbis contenta, non multum virget. Tum quia parum omnino refert ad congruam redemptionem Angelorum per vnum Angelum, quod non sint omnes sati ex eodem parente; cum satis superque esse videatur, quod omnes sint vnius naturæ: tum quia Angeli per hominem Deum redimi poterunt, cum pretium à Christo exhibitum, fuerit de facto tam superabundans, vt & ad hominem & ad Angelorum reparationem poterit esse sufficientissimum, vt eodem capite postea admittit S. Anselmus. Posterior ratio verbis adductis expressa, imprimis non virget de Angelis reprobis inferioribus. Omnes enim lapsi sunt intigante Lucifero, vt suppono. Et quamvis omnes suapte sola improbitate, nemine suadente cecidissent, vt Lucifero accidit; tamen non sequitur, si ceciderunt per seipsos, debere etiam per se resurgere. Vt enim sæpe ait D. Augustinus quisq; ad lapsum & ruinam sufficit sibi, non autem ad resurrectionem excitationem. Nam etiam nos pleraque peccata admittimus non suadente diabolo, à quibus tamen liberati per nos ipsos nequimus. Illud item in ea secunda ratione obiectum est, quod dicantur Angeli si non peccassent, perstituri fuisse in veritate & sanctitate, per potestatem suam quam acceperant, absque auxilio extrinsecò. Si enim id intelligatur cum exclusione auxiliorum gratiæ est aperte falsum. Itaque sensus esse debet Angelos admissis auxilijs, usque comprehensis in potestate quam acceperant, fuisse perstituros absque auxilio exteriori cuiuscumque Mediatoris, non tamen absque ope Dei gratuito fulcantis naturalem creaturæ cuiuscumque infirmitatem.

Congruentius fuit hominem reparari quàm Angelum, & quare.

5. Manifestum ergo videtur, ex toto D. Anselmi discursu aliud non haberi, quàm quod dixi; Nempe, defuisse Angelicæ naturæ congruitates illas quæ proposita sunt ex parte naturæ humanæ & aliam quam adhibet Autor libri primi de mirab. factæ Script. cap. 2. in fine. Eamque præsertim quæ adhibetur à Cassiano colat. 4. cap. 14. & ab Isidoro lib. 1. de summo bono c. 12. sent. 10. & 11. Pulchrè item sed paulò longius à Iobio apud Photium Cod. 222. cap. 40. & 41. Brevius & bene à S. Gregorio l. 4. mor. cap. 8. & 9. verbis illis. [Omnipotens Deus sicut ex nihilo bona facere potuit, ita cum voluit per Incarnationis suæ mysterium, etiam perditam bona reparavit. Duae verò ad intelligendum se, creaturas fecerat, Angelicam videlicet & humanam: veramque verò superbia perculit, atque ab statu ingenitæ rectitudinis fregit. Sed vna regmen carnis habuit, alia verò nihil infirmum de carne gestavit. Angelus namque solummodò spiritus, homo verò & spiritus est, & caro. Misertus ergo Creator vt redimeret, illam ad se debuit reducere, quam in perpetratione culpæ, ex infirmitate aliquid constabat habuisse; & eo amplius debuit

debut apostatam Angelum repellere, quo cum à perditionis fortitudine cotruit, nihil infirmum ex carne restat. Vnde & rectè Plalmista cum miserum Regem ait: *Quem supplantavit aliena malitia*, propterea ei potest caritas aliena. S. quoque Paulinus episcopus de hac rei rationem scribens. *Quomodo cecidit Lucifer, qui manè oriebatur?* sed non sic ut ille, in æternum interitum damnati sumus: quia ille Auctor peccati fuit, simulque pro se & pro homine punietur, qui eodem periit scelere, quo perdidit. Homo autem non in finem meruit exterminari paradisi, & terra esse, quia divina iustitia lenius indicavit, aliena mente peccasse, quam propria. Criminosius est decipere, quam decipi: & peccatum excogitare, quam facere. Et ideo temporaliter & ad emendationem puniuntur, ut frandis assessor; in æternum autem supplicium destinatus mortis inuentor. Cui nunquam deficiunt poenæ peccati, quia nunquam desinit. Hanc igitur rationem adhibuit quoque S. Gregorius. Quamquam eius verba alium quoque sensum ferunt; nempe quod Angelus sua sola, non sicut homo aliena iniquitate, impellens cecidit; hoc est & fatam impellentis, & Adæ; cuius peccatum exitus est originali gratia, & permissus ferocia ingenti fomitis. Quæ ratio egregie quoque proponitur à Gaufrido Vindoc. serm. 1. de trans. Dom. & eam etiam reddit D. Aug. c. 19. Enchir. & retoluitur in priorem ex D. Gregorio propositam. Omnes hæc congruitates idoneæ sunt.

6. Inde tamen non sequitur, naturam Angelicam non fuisse reparabilem, si Deo placuisset, sicut Deo placuit hominem reparare. Ex quo S. Chrysost. hom. 3. in epist. ad Eph. *intra moral.*, colligit quæ: homo obstrictus sit Deo pro Angelis, qui non sunt apprehensi, nec reuocati à barathro in quod erant prolapsi. [Hoc exemplum (inquirit) nos Angelis oportet esse meliores, & Archangelis maiores, ut qui ijs omnibus sumus honore prepositi. Non Angelos apprehendit Deus, sicut dicit scribens ad Hebræos, *sed semen Abrahæ*; non principum, neque potestatem, neque dominationem, neque illam aliam virtutem: sed nostram naturam apprehendit, & supra sedere fecit. Et quid dico, sedere fecit? suum fecit vestimentum; nec id solum, sed eius pedibus subiecit omnia. Quam multas vis mortis ponit, & quam multas animas? deciesne millies, & his longe plures? sed nihil dices quod sit ei æquiparandum. Duo enim fecit maxima: & ipse ad summam venit humilitatem, & hominem iustulit ad altitudinem, suo sanguine cum saluum fecit.]

Homo diuinitus, tum exemplo & doctrina, tum iusta satisfactione reparatus.

7. Abiecto igitur in æternum Angelo, cogitauit Deus super solum hominem cogitationes pacis, & ad eum erigendam & reparandum misit Filium suum, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Duobus autem modis salutem nostram in medio terræ ad quam descendit, operatum est Dei Verbum. Vnus modus fuit, per exemplum & doctrinam; alter per satisfactionem pro nobis. Hunc enim fuisse scopum Verbo humanitatem suscipienti propositum, ut nos per hominem suum erudiret atque à miseria contracta satisfaciendo liberaret, passim prædicat scripturæ, in quibus Christus nunc Doctor iustitiae & Lex mundi dicitur, aliiq; similibus titulis exornatur, quibus eum datum esse resem iustitiae & veritatis matrem, Reynaudi Christum.

gistrum ad errores dedocendos palam sit: nunc verò pretium nostrum atque iustitia, sanctificatio quoque ac redemptio, nominatur; & huiusmodi alijs nominibus insignitur, quæ aperte sonant, id imprimis propositum Christo fuisse, ut Deo læso satis faceret pro nobis, & dona gratiæ quibus amissam sanctitatem recuperaremus, suis laboribus, ac præsertim morte, generi humano promeretur. Luculenter ac plenè de his Christi aduentus motiuis differit Vega toto l. 3. & 4. in Concilium. Nos breuiter aliqua distinctiōis de utroque illo Dei scopo subiiciamus, recisus plerisque huic loco non necessarijs. Ac primùm agamus de doctrina quæ cum ab ipso Deo per Christi fabricam exhibita est nobis, tum de ea quæ exhibita est per Christum ipsam iam fabricatam, & nobiscum versantem.

Quæ Deus hominem, fabricans Christum, docuerit. Ac primùm virtutes varie.

8. Immensam silam eorum quæ Deus Christum fabricando, muta (ut sic dicam) sed potentissima erudiendi ratione nos docuit, collegerunt varij Patres, præsertim Nyssen in orat. Carech. à cap. 14. ad 29. Damasc. 3. de fide cap. 1. & alij deslorandi lib. 5. cum explicabimus quæ ratione Christus sit Dei facies, ubi ex Patribus demonstrabimus, attributa Dei eximie in Christo impleuisse, & Deū in Christo exhibuisse nobis quanta sit sapientia, misericordia, charitate, iustitia, potentia. Nunc alia quædam consideremus, illaque imprimis quæ D. Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 17. annotauit. Considerauerat ibi S. D. multos & insignes fructus, ex Verbi Dei Incarnatione derivatos, in genus nostrum. Tum subiit. [Sunt & alia multa quæ in Christi Incarnatione, quæ superbis displicet, salubriter intuenda atque cogitanda sunt. Quorum est vnum, quod demonstratum est homini, quem locum haberet in rebus quas condidit Deus: quandoquidem sic Deo coniungitur potuit humana natura, ut ex duabus substantijs fieret vna persona, ac per hoc iam ex tribus, scilicet Deo, anima, & carne: ut superbi illi maligni spiritus, qui se ad decipiendum quasi ad adiuvandum medios interponunt, non idè se audeant homini præponere, quia non habent carnem: & maxime quia & morti in eadem carne dignatus est Filius Dei, ne idè illi tanquam Deos se coli persuadeant, quia videntur esse immortales. Deinde ut gratia Dei in nobis sine vllis præcedentibus meritis in homine Christo commendaretur: quia nec ipsa tanta vnitæ Deo vero coniunctus, vna cum illo persona, id est ipse homo assumptus, mox ut homo etiam Deus, Filius viveret, vllis est præcedentibus meritis assecutus. Sed ex quo homo esset, cœpit, ex illo est & Deus: Vnde dictum est, *Verbum caro factum est*. Etiam illud est, ut superbia hominis, quæ maxime impedimento est ne in hæreatur Deo, per tantam Dei humilitatem & redargui posset, atque sanari: discatque homo quàm longè recesserit à Deo, & quid illi valeat ad medicinalem dolorem, quando per talem Mediatorem redit, qui hominibus & Deus Diuinitate subuenit, & homo infirmitate cōuenit. Quod autem maius obedientiæ nobis præberetur exemplum, qui per inobedientiam perieramus, quàm Deo Patri Deus Filius obediens vsque ad mortem crucis? Quod præmium tantæ obedientiæ ubi ostenderetur melius, quàm in carne tanti Mediatoris, quæ ad vitam resurrexit æternam? Pertinebat etiam ad iustitiam bonitatemque Creatoris, ut per eandem rationalem creaturam superaretur diabolus, quam se superasse gaudebat; & de ipso genere venientem, quod genus origine vitiatum per vnum tenebat vniuersum.]

Deinde quanti se homo facere debeat.

9. Iuxta eundem D. Augustinum l. de vera Relig. cap. 16. docuit nos Deus per hoc mysteriū quanti nos
V facere

facere debeamus. [Deus (inquit) nullo modo beneficentius consulit generi humano, quam cum ipsa Sapientia Dei, id est, vnicus Filius consubstantialis Patri & coeternus, totum hominem suscipere dignatus est, & Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ita enim demonstrauit carnalibus, & non valentibus intueri mente veritatem, corporisque sensibus deditis, quam excellentem locum inter creaturas habeat humana natura, quod non solum visibiliter, (nam id poterat, & in aliquo aethereo corpore ad nostrorum aspectum tolerantiam temperato,) sed etiam hominibus in vero homine apparuit. Ipsa enim natura suscipienda erat, quae liberanda. Et ne quis forte sexus a suo creatore se contemptum putaret, vitum suscepit natus ex femina. Nihil egit vi, sed omnia suadendo & monendo. Vereri quippe seruitute transacta, tempus libertatis illuxerat, & opportunè iam homini suadebatur atque salubriter, quam libero esset creatus arbitrio.]

Eadem cogitatio ex hoc mysterio, alios item Patres occupauit, quorum aliquos ad tam suauis considerationis suauitatem inuauit appendere. S. Macarius hom. 15. [Respice dignitatem tuam, quam sis pretiosus; quod te superiorem Angelis fecerit Deus, quando vel ipse ad te redimendum legatione tua perfunctus, in terris se praesentem exhibuit. Quando enim Angeli ad te saluandum venerunt? Rex siquidem filius regis consilium iniit cum patre suo, missumque est Verbum, ac carnem induit, atque occulta sua ipsius Diuinitate, ut per simile, simile seruetur, animam suam Cruci imponi passus est. Tanta erat dilectio erga hominem! Immortalis qui erat, elegit tui causa Cruci affigi? Perpende ergo, quam ardentem Deus dilexerit mundum, ut vnigenitum Filium suum daret pro eo; qui fieri potest, ut non & cum eodem, omnia nobis donet?]

10. S. Bernardus hom. 1. de Aduentu. [Ad quaerendam ouem centesimam, quae errauerat de montibus properauit: ut confiteantur manifestius Domino misericordiae eius, & mirabilia eius filijs hominum propter nos venit. Mira quaerentis Dei dignatio; magna dignitas hominis sic qualiti in qua si gloriari voluerit, non erit insipiens; non quod aliquid esse videatur tantumquam a seipso, sed quod tanti eum fecerit ipse qui fecit. Omnes enim diuitiae, omnis gloria mundi, & quicquid in eo conspicitur, minus est ad hanc gloriam, imò nec est aliquid in comparatione eius, Domine quid est homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Et serm. 3. de Circumc. [Habent Angeli gloriam puram & perfectam: sed nec nos erimus sine gloria. Videmus gloriam eius, gloriam quasi vni-geniti a Patre: gloriam misericordiae, & affectus veri patris: gloriam procedentis ex corde Patris, & paterna planè viscera exhibentis: Omnes enim peccauerunt, (ait Apostolus) & egent gloria Dei. Et alio loco: Mihi, (inquit,) absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi. Quid enim nobis gloriosius, quam quod tanti aestimauit nos Deus? Quae maior illi gloria, quam tanta dignatio, & tanta benignitas; eò utique dulcissima, quod tam gratuita. Nam pro impijs mortuus est. Videtis quantum fecit, & pro quibus. Pro quibus ut non superbiamus: quantum, ne desperemus. Propterea ut inueniamini non spiritum habere huius mundi, sed Spiritum qui ex Deo est, & sciatis quae a Deo donata sunt nobis.]

Richardus Victor, lib. 1. de Eman. c. 13. [Magnum sane signum & mirabile Sacramentum, Filium Dei fieri filium hominis: Dominum maiestatis, participem fieri nostrae infirmitatis. Quis ergo dissidat, imò quis merito non praesumat, hominem per Deum participem posse, & debere fieri Diuinitatis, si Deus propter homines factus est participes nostrae humanitatis? Alio qui gratis Christus semetipsum exinanuit, formam serui accipiens, & habitu inuentus ut homo. Nunc igitur

tur si Deus propter homines factus est filius hominis per natiuitatem; cur non multò magis homo per Deum, fiat Filius Dei per adoptionem? Ecce quomodo dignatio illa diuina humiliationis, data sit in signum futurae nostrae exaltationis.

Item quo loco sit apud Deum.

11. Affine est quod S. Ang. lib. 13. de Trinit. c. 10. docet, voluisse Deum per hoc mysterium excitare nos ad agnoscendum quam ei cordi sint res nostrae; nec esse quod praeter tanta abiectione, cadamus animis, sic enim scribit: [Quid tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, mentisque mortalium conditione ipsius mortalitatis abiectione, ab immortalitatis desperatione liberandas, quam ut demonstraretur nobis, quanti nos penderet Deus, quantumque diligeret. Quid verò huius rei tanto isto indicio manifestius atque praeclearius, quam ut Dei filius immutabiliter bonus, in se manens quod erat, & a nobis & pro nobis accipiens quod non erat, praeter diuinæ suae naturae detrimentum, nostrum dignatus est accipere consortium, prius sine vilo malo suo merito mala nostra perferret; ac sic iam credentibus quantum nos diligit Deus, & quod desperabamus iam sperantibus, dona in nos sua sine vili bonis meritis nostris, indebita largitate conferret, quia & ea, quae dicuntur merita nostra, dona sunt eius? Egregie in eandem sententiam disserit l. 4. eiusdem operis cap. 1. & 2. & lib. de agon. Christ. c. 11. [Erigat spem suam genus humanum, & recognoscat naturam suam, & videat quantum locum habeat in operibus Dei. Nolite vos ipsos contemnere viri; Filius Dei virum suscepit. Nolite vos ipsas contemnere feminas; Filius Dei natus ex femina est.]

Ac denique ut tumorem poneret homo exinanito Deo.

12. Quia verò iuxta praecaram Petri Damiani considerationem, solet Deus ima summis consociare, sicut excellentiam nostram ex hoc mysterio docere nos voluit, ita & depreffionem. Notauit hoc praeclearè Aug. serm. 21. de temp. [Quas laudes, (inquit,) charitati Dei dicamus, quas gratias agamus, qui nos ita dilexit, ut propter nos fieret in tempore, per quem facta sunt tempora, & multis seruis suis in mundo minor esset aetate, ipso mundo antiquior sine vetustate? Homo fieret, qui hominem fecit: crearetur ex matre, quam creauit; portaretur manibus, quas formauit; sugetur vbera, quae impleuit: in praesepi muta vagiret infantia, Verbum sine quo muta est humana eloquenda? Vide homo quid pro te factus est Deus; doctrinam tandem humilitatis agnosce, etiam nondum loquente Doctore. Tu quondam in Paradiso tam facundus fuisti, ut omni animarum viuarum nomina imponeres: propter te autem creator tuus infans iacebat, & nomine suo nec matrem vocabat. Tu in latissimo fructuosorum nemorum praedio, te perdidisti obedientiam negligendo; ille obediens in angustissimum diversorum mortalium venit, ut mortuum quaereret moriendo. Tu cum esses homo, Deus esse voluisti, ut perires: ille cum esset Deus, homo esse voluit, ut quod perierat inueniret: Tantum te preffit humana superbia, ut te non posset subleuare nisi diuina gratia. Et serm. 22. [Oportebat, ut pronuntiaretur venturus, facturus miracula; quibus miraculis benè intelligentibus appareret homo paruus ad paruos, sed humilis ad superbos. Paruitatem suam docens hominem, ut se agnosceret & paruus, ne non grandescendo, se crederet magnum. Est enim superbia, non magnitudo sed tumor. Quod autem tumor, videtur magnum, sed non est sanum. Ut autem

autem generis humani istum tumorem sanaret ipse
medicos, ipsa medicina, non solum medicamentum
alibens, apparuit inter homines homo, offerens ho-
minem videntibus, Deum (seruus credentibus, aspe-
ctus enim humilitatis eius, sanauit infirmos.) Et infe-
ctus enim humilitatis erat, qui videri non poterat. Vt
enim (Deus sequebatur erat, qui videri non poterat. Vt
ergo exhiberetur in homine, & qui ab homine vide-
retur, & quem homo sequeretur, Deus factus est ho-
mo. Aliquid te magnum credere debes. Sed quia Ver-
bum caro factum est, & habitauit in nobis, eadem sa-
pientia quæ de Deo genita est, dignata est etiam inter
homines creari, quod pertinet illud: *Dominus creauit me*
in principio uariarum. Est enim eius principium, ca-
pitulum Ecclesie, quod est Christus. Hominem per quem
viciandi exempli nobis daretur, hoc est, via certam qua
perueniremus ad Deum. Non enim redire potuimus,
nisi humilitate, qui superbia lapsi sumus, sicut dictum est
propter nos creatus: *Gissauit & eritis sicut Di.* Huius
ignis humilitatis exemplum, in ipso demonstrare di-
gnatus est, qui non rapinam acerbatus est, esse se æqua-
lem Deo, sed semetipsum exinuit formam serui ac-
cipiens, ut crearetur homo in principio uariarum eius,
Verbum per quod creata sunt omnia.]

Rursum item 74. [Erat vnde exolleretur gens tu-
dea, & per ipsum superbia factum est, ut Christo nollet
humiliari Auctori humilitatis, repressori tumoris, medi-
co Deo; qui propter hoc cum Deus esset, homo factus
est, ut se homo hominibus cognosceret. Magna medicina.
Hæc medicina, si superbia non curat, quid eam curet
recedat. Deus est, & fit hominibus Diuinitatem, id est,
quodammodo sequetur; hoc est, occultat quod suum
est, quod appareret acceptat, fit ille homo cum sit
Deus, & non se agnoscit homo hominem, id est, non
se mortalem agnoscit, non se agnoscit fragilem, non se
agnoscit ægrotum, ut querat vel ægrotus medicum,
sed quod est periculosus, sanus sibi videtur.]

Christus item per seipsum docere nos venit, &
quàm ad id aptus.

13. Satis de illis quæ Deus ex hoc mysterio per seip-
sum docere nos voluit. Nunc progredien- dum est ad ea,
quæ Christus ipse iam conditus & inter nos diuersans,
verbo ac exemplo nos docuit. Venisse enim Christum
ut nos doceret verba verbo & exemplo, namque in
nobis diuini amoris excitaret, & gelu peccatoris solueret,
communis est Patrum doctrina ex Scripturis hausta,
de fide illustranda, agendo de Christo Magistro atque
Doctore. Nunc aliqua diuinitas habebimus. Non de-
fuerunt igitur ex Ethnicis, ut Lactantius refert lib. 4.
instit. c. 22. qui negarent esse Deo dignum, ut homo fieri
vellet ad docendos homines, [quasi non facile illi esset,
ut citra corporis imbecillitatem se hominibus ostende-
ret, eosque iustitiam doceret, (si quidem id volebat),
maior autoritate, (ut aiebant) professi Dei. Tunc enim
cunctos fuisse præceptis cælestibus parituros, si ad ea
virtutes ac pietas Dei præcipientis accederet. Cur igitur
rebut, ad docendos homines non ut Deus venit?]
Hinc obiectionem ut dissoluat Lactantius. monstratque
longe conuenientius fuisse, ut Doctor instituit Deus,
humana specie inter nos versaretur, assumit c. 23. latè
que confirmat, et qui idoneus Doctor disciplinæ mo-
ralis cuiusmodi est Christiana, & sit & habeatur, debe-
re ipsum præstare quæ docet; alioqui elumbem &
mercenem fore disciplinam. [Homines enim malunt
exempla quàm verba; quia loqui facile est, præstare dif-
ficile.] Stabili latè hoc principium in prologo mo-
ralis disciplinæ à n. 49. iacto hoc fundamento, Lactan-
tius, quia Doctorem de cælo missum constare non po-
tuisse esse non perfectissimum, confirmat c. 24. Docto-
rem hominum ut perfectus sit, hominem esse oportere,
et quod alioqui homines excusantur fiat excusationes
Theoph. Raynaud. Christum.

in peccatis; & causaturum mirum non esse, si spiritus nudus
qui corpore liber est, non labore circa virtutis opera,
sicut nos praeuante mortali hac sarcina laboramus.
Hæc & alia, quæ prætexti possent ab inodoli audire
aduersus Magistrum incorporalem cælestis disciplinæ,
prosequitur fusè eo c. Lactantius, quod obsequat hæc
clausula. [Liquidò ergo apparet, eum qui vitæ dux, &
iustitiæ sit Magister, corporalem esse oportere, nec ali-
ter fieri posse ut sit illius plena & perfecta doctrina, nisi
habeat radicem ac fundamentum, stabiliisque apud ho-
mines ac fixa permaneat, ipsum autem subire carnis &
corporis imbecillitatem, virtutemque in se recere
cuius Doctor est, ut eam simul & verbis doceat & fa-
ctis; item subiectum esse morti, & passionibus cunctis,
quonia & in passione toleranda, & in morte subeunda,
virtutis officia versantur, quæ omnia (ut dixi,) cõsum-
matus Doctor perficere debet, ut doceat posse perferri.]

14. Quia egregie omnino in hanc rem differit Guigo
Cartusianus S. Bernardi peramicus, medi. c. 20. placet
aliquid ex eo delibare. (Has virtutes (inquit) seu iusti-
tiæ lineas, etiam nunc in hac mortali vita, si valde mun-
da esset anima, per semetipsum in ipsa veritate atque
sapientia Dei videret. Videret etiam non solum se, id est,
animam humanam immortalem atque æternam fore;
sed etiam carnem suam talem in resurrectione futu-
ram. Nam & eandem resurrectionem ibidem, id est, in
Dei Verbo & sapientia, clarè conspiceret. Sed quia hæc
non poterat propter impunditiam suam, addita est
Verbo mens humana, quæ ipsum Dei Verbum plenissi-
mè suscipiens, etque omnino conformis atque consimi-
lis, eoque sola tota & ex toto impressa, sicut scriptum est:
Pone me sicut signaculum super cor tuum. In cuius utique
similitudine tota redacta, sicut ad sigilli similitudinem
cera redigitur, ipsum nobis in seipsa videndum scien-
dumque exhiberet. Sed nos ita cæci eramus, ut non so-
lum Dei Verbum, sed nec humanam animam videre
possemus. Idcirco additum est etiam corpus humanum.
Pone enim hæc tria, Dei Verbum, humanam mentem,
corpus humanum. Si primum bene videre possemus,
non indigeremus secundo. Quod si saltem secundum
videremus, non indigeremus tertio. Sed quia nec pri-
mum, nec secundum, id est, nec Dei Verbum, nec hu-
manam mentem videre poteramus, additum est tertium,
id est, corpus humanum. Atque ita Verbum caro fa-
ctum est, & habitauit nobiscum in exterioribus no-
stris: ut vel sic, nos intro duceret aliquando ad interio-
ra sua.] Et inferius. [Non Sacramentis, non verbis, non
exemplis; sed Dei tantummodò Verbi præsentia est
docta, ut intelligeret, & accensa ut amaret. Per eam no-
bis ipsum Dei Verbum & sapientia tripliciter, id est,
Sacramentis, verbis, & exemplis, quid agendum, quid
tolerandum, & per quid esset ostendit; Non enim ho-
mo sequi debebat nisi Deum; nec poterat, nisi homi-
nem. Assumptus est igitur homo; ut dum sequitur
quem potest, sequatur & quem debet. Item non pro-
derat conformari nisi Deo, ad cuius imaginem factus
est; nec poterat nisi homini: Itaque Deus factus est
homo; ut dum conformatur homini cui potest, con-
formetur & Deo, cui prodest.]

*Quæ sint utilia illa, quæ Christus per seipsum
nos docuit.*

15. Ex dictis patet, Christum accommodatissimum
fuisse ad nos docendos viâ iustitiæ verbo & exemplo;
quem aiebam vnū fuisse ex finibus aduentus eius: cui
item ut magis inseruiet, non elegit vitam eremiticam, sed
communem, ut D. Thomas 3. p. q. 40. art. 1. rectè con-
siderauit, & ibidem fusè expendit Suarez d. 28. f. 1.
Quàm verò non fuerit sola ad docendum idoneitate
contentus, sed eam exprompserit, reduxitque ad
actum exhibitione doctrinæ cælestis, cum speculatione

tum practicæ, huiusque per exempla à se edita, firmatione; vix est quod exponam, cum vniuersæ Scripturæ noni præsertim instrumenti id perspicue ferant, & passim SS. Patres in hanc rem contulerint operam. [Venit Dominus (inquit S. Bernardus serm. 3. de Circumc.) propter nos non solum redimendos sanguinis effusione, sed & docendos verbis, & exemplis nihilominus instruendos. Sicut enim penitus erat inutile viam scire, si detineretur in carcere; ita redimi non prodesset, si viæ ignaros qui primus inueniret, primus reduceret in carcerem retrudendos. Itaque in maiore quidem ætate, patientiæ & humilitatis, & super omnia charitatis ceterarumque virtutum manifesta dedit Saluator exempla; in infantia verò figuris velata.]

16. Pleniùs ac distinctiùs S. Aug. l. de agone Christi. cap. 1. relatis ijs qui improbabant Verbi Dei in carne ad nos aduentum, eò quòd ea videretur Dei depressio & abiectio nimia, quantum nobis ad doctrinam & profectum in omni sanctitate ea Filij demisso contulerit, editis tam illustribus omnis virtutis exemplis, ita exponit. [Non intelligunt quid sit æternitas Dei, quæ hominē assumpsit; & quid ipsa humana creatura, quæ mutationibus suis in pristinam firmitatem reuocabatur, vt disceremus, docente ipso Domino, infirmitates quas peccando collegimus, rectè faciendo posse sanari. Ostendebatur enim nobis ad quam fragilitatem homo sua culpa perueniret, & ex qua fragilitate diuino auxilio liberaretur. Itaque Filius Dei hominem assumpsit, & in illo humana perpeßus est. Hæc medicina hominum tanta est, quanta non potest cogitari: nam quæ superbia sanari potest, si humilitate Filij Dei non sanatur? Quæ auaritia sanari potest, si paupertate Filij Dei non sanatur? Quæ iracundia sanari potest, si patientia Filij Dei non sanatur? Quæ impietas sanari potest, si caritate Filij Dei non sanatur? Postremo quæ timiditas sanari potest, si resurrectione corporis non sanatur.] Et inferiùs magis ac magis illustrans fructum exemplorum Filij Dei ad infigendum peccati odium, & animandum ad omne bonum morale, omnemque virtutem. [Quem dignatur imitari, viciosa iactantia, vt ad virtutem percipiendam possit adduci, si erubescit imitari eum de quo dictum est antequàm nasceretur, quod Filius altissimi vocaretur, & per omnes iam gentes (quod negare nemo potest) Filius Altissimi vocatur; si multum de nobis sentimus, dignemur imitari eum qui Filius Altissimi vocatur. Si parum de nobis sentimus, audeamus imitari piscatores & publicanos qui eum imitati sunt. O medicinam omnibus consulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua refecantem, omnia necessaria custodientem, omnia perditia reparantem, omnia deprauata corrigentem! Quis iam se extollet contra Filium Dei? Quis de se desperet, pro quo tam humilis voluit esse Filius Dei? Quis beatam vitam esse arbitretur in ijs quæ contemnenda esse docuit Filius Dei? Quibus aduersitatibus cedat, qui naturam hominis à tantis persecutionibus custoditam credidit in Filio Dei? Quis sibi esse clausum regnum cælorum putet, qui cognoscit publicanos & meretrices, imitatores esse Filij Dei? Quæ peruersitate non careat, qui facta & dicta intuetur & diligit sectator illius hominis, in quo se nobis ad exemplum vitæ præbuit Filius Dei?]

17. Præsertim verò attem amandi sui, ipsiusque ad eò Dei qua perfecti efficiuntur, & ad omnem beatitatem disponimur, luculentis operibus à Christo inter docendum editis, quæ omnia eo referebantur, vt hic amor incensior euaderet; Christus in hominibus, quibus mens læua non est, inseuit, adauxitque mirum in modum: hinc doctrinæ eius, secundum Dei gloriam, scopus primarius. [Quidquid enim (verba sunt D. Anselmi lib. de Sacram. altaris cap. 8.) Redemptor noster

in carne fecit, ob hoc vtiq; fecit, vt amaretur à nobis: nò quod egeret ipse nostro amore, qui honoru nostrorum non eger, per omnia sufficiens ipse sibi, sed quia quos beatos facere suscepit, nisi eum amando, non poterant esse beati. Neque verò solummodo amore quo nos prior dilexit, sed omnimodis amoris obsequijs vt amaretur à nobis quomodo laborabat meriti, infirma nostra curado, mortua resuscitando, ignobilia mundi eligendo, fortia eius confundendo, terrenorum odium, cælestium amorem commendando. Idè quippe descenderat ad nos, vt amorem nostrum in terrenis dispersum, & putrefactum beneficia pietatis exhibendo in se colligeret, & in nouitatem vitæ reformaret, & abstractum & emendatum à fæce carum rerum quæ cum ipso pariter amari non possunt, secum sursum leuaret.]

Vitæque doctrina propoßita, non fuit vnicui finis aduentus Christi, contra Pelagianos & Abelardum.

18. Hæc igitur sunt vniuersè loquendo vtilia illa quæ Christus nos doctus venit. Ita tamen intelligendus est venisse Christus vt doceremur, siue ab ipso Deo per Christi exhibitionem & mirantia in mirabili hoc opere attributa Dei; siue ab ipso Christo verbis & exemplis nos informante; vt non hæc fuerit vnica & sola aut etiã præcipua causa aduentus Christi. Qua in parte fecit impigerunt Pelagiani, qui Christum Doctorem tantum agnouisse contenti, nullam præterea munus ei conerunt, nec aliud ab eo bonum ad nos deriuatum censuerunt, quam eruditionem atque doctrinam. Itaque Cassianus lib. 6. de Incarnatione cap. 14. sic Nestorium affatur. [Duos absque dubio Christos facis: secundum illud scilicet Pelagianæ impietatis cæcus, quæ solitarium hominem ex virgine natum asserens, eruditorem eum dixit humani generis, magis quam Redemptorẽ fuisse: quia non redemptionem vitæ hominibus, sed viuendi dedit exemplum: videlicet, vt sequentes eum homines, dum similia agerent, ad consilia peruenirent.] Et l. 1. c. 3. descripta propagine illa Pelagianismi, quæ Christum aiebat effectum ex puro homine Deum, affectu & gratia per merita, subiungit. [Quo factum est, vt in maiorem quoque ac monstruosiorẽ insaniam prorumpentes, dicerent Dominum nostrum Iesum Christum, hunc in mundum non ad præstandam humano generi redemptionem, sed ad præbendam bonorum actuum exempla venisse: Videlicet, vt disciplinam eius sequentes homines, dum per eandem viam virtutis incederent, ad eandem virtutum præmia peruenirent.]

Ex eadem cænosa Pelagij serobe, Autor Pelagianus cuius est liber de malis Doctoribus perperam Sixto Papæ tributus, sub medium libri, in insigniter diserta Christi ad peccatores correptione & obiurgatione ob reddita mala pro bonis, tantum virget illustrissima Christi exempla atque vberem doctrinam, cui peccatores non respondent. Idem delirium ex Abelardo refert S. Bernardus epist. 190. Ait enim, euitatum illum negasse hominum sub damone captiuitatem: idèoque consequenter negasse collatã ab ea redemptionem per Christum, tantum verò admisisse traditã nobis esse per Christum formam vitæ viuendo, & docendo; patiendo autem & moriendo præfixam esse metã charitati nostræ.

19. Euacuati per huiusmodi placitum omne facili aduentus donum, & omnem diuinæ redemptionis gratiam, rectè censuit Cassianus cap. illo 3. & S. Bernardus epistola citata, qui in hunc modum virget Abelardum. [Ergo docuit Christus iustitiam, & non dedit; ostendit charitatem, sed non iniecit, & sic redijt in sua: Itanc hoc totu est magnum illud pietatis Sacramentum, quod manifestatu est in carne, iustificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, credi-

non est mundi, assumptum est in gloria?] Quasi diceret, plane recidere in nihilum quæ de tanti mysterij summa fructibus in Scripturis & Patribus sunt celebrata, si ad nodum exemplum aut doctrinam, vniuersus eius precoratus refectur. Quid verò fiet parvulis, quos non possit Christo docenti auscultare, eive se conformare ob rationis defectum, nemo non videt? An eos cum Pelagio, exortes fructuum aduentus Christi pronuntiamus? [Patet ergo, (concludam enim cum Bernardus) quantum humanæ Sacramento salutis iniudeat, quantum quod in isto est, euacuet alii dispensationem mysterij, qui totum de salute tribuit deuotioni, generationi nihil: qui nostræ gloriam redemptionis, & summam salutis non in virtute Crucis, non in precio sanguinis, sed in nostræ confituit conuersationis profectibus. *Mibi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, in qua est salus vita, & resurrectio nostra.* Et quidem tria quedam præcipua in hoc opere nostræ salutis inuocor: formam humilitatis, in qua Deus semetipsum exinanivit, charitatis mensuram, quam vique ad mortem, & mortem Crucis extendit; redemptionis Sacramentum, quo ipsam mortem quam perierat, sustulit. Horum duorum priora, sine ultimo se sunt, ac si super inane pingas. Magnum profectò de valde necessarium humilitatis, magnum & omni acceptione dignum charitatis exemplum; sed non habere fundamentum, ac proinde nec statum, si desit redemptio.]

Veni insuper ad satisfaciendum, id est merendum, & pro nobis reparandum ius Dei, atque alia ob salutem nostram.

10. Nimirum addendæ nobis vltra exemplum atque doctrinam fuere vires gratiæ, quas nobis Christus sua satisfactione & meritis comparauit, placato Patre, & reparata per mortem suam ac labores in id impendebat iniuria Dei; & abolitis inde refulis in nos damnis, cunctis videlicet diuinæ amicitia, & subductione auulsum ad petendum & promouendum in sanctitate & iustitia coram Domino: quæ omnia nomine satisfactionum Christi eiusque fructuum intelliguntur. Neque enim satisfactiones Christi, cum per eas saluari dicuntur, viuantur nudè pro diuinæ iniuriæ reparatione per Christum; sed pro quibusvis eam reparationem consequentibus, eive adiunctis in bonum nostrum.

Hanc finem aduentus Christi prædicant vbi que Scripturæ & Patres. Hoc enim est quod Ioan. 3. dicitur. *Miserere Deum in mundum, ut saluetur mundus per ipsum.* Ex 1. Tim. 1. *Veni Iesu peccatores saluos facere.* Et Lucæ 19. *Veni saluum facere quod perierat.* Discrede Ecdesiæ idem agnoscit in Symbolo Constantinopolitano ratio illis: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis.* Egregè Nazianz. orat. 4. cū docuisset pro summa Dei bonitate, in misericordiam cessasse, (sic enim Deum supplicia inferre) addit; post multipliciter castigatum à Deo hominem ut malitia conuerteretur, cum morbus magis in dies glisceret, & ad maiorem extrema ventum esset, Deum potentius ac validius medicamentum submisisse cælo. [Hoc autem erat ipse Dei Filius, ille seculis antiquior, ille inuisibilis, ille incomprehensibilis, ille incorporeus, illud ex principio principium, illud ex lumine lumen, ille fons vitæ & immortalitatis, illa archetypi expressio, illud immortem sigillum, illa, per omnia similis imago, ille Patris carminis & ratio: Ille inquam, ad imaginem suam se conseruit, carnisque carnis causa gerit, & cum intellectuali anima propter animam meam iungitur, ut simile per simile reparetur: atque humana omnia excepto peccato suscipit, conceptus quidam ex virgine, animo & carne à Spiritu purgata (nam & generationem ho-

Theoph. R. aymandi Christum.

nore affici, & virginitatem præfetti oportebat;) progressus autem Deus cum assumpta humanitate, vnum ex duobus inter se contrarijs, carne nimirum & spiritu, quorum alterum Deitatem dedit, alterum accepit, O nouam & inauditam mixturam, ô admirandam temperationem! Qui est, fit: qui increatus est, creatur: qui nullo loco contineri potest, interuentu animæ intellectualis, inter Diuinitatem, carnisque crassitiem interiectæ, continetur.]

21. Quorsû hæc diuinitus sint edita, nec alio quàm ad suam salutem & curationem nostram pertinuisse, docent quæ continenter subiicit Theologus. [Qui alios dicit, pauper efficitur: carnis enim meæ paupertatem subit, ut ego Deitatis ipsius opes consequar. Qui plenus est, exinanitur: sua enim gloria ad breue tempus exinanitur, ut plenitudinis ipsius ego particeps efficiar. Quenam hæc bonitatis diuitiæ? quodnam me circumlat mysterium? Diuinam imaginem accepi, nec custodiui: ille meam carnem accipit, ut & imagini salutem, & carni immortalitatem asserat. Secundum confortium nobiscum inuit, & quidem priore longè admirabilis. Tum enim id quod præstantius erat, nobis impertijt: at nunc eius, quod deterius est, particeps ipse fit. Hoc priori illò diuinius, hoc apud cordatos viros multò sublimius.]

Concinit egregè S. Bernardus hom. 1. de aduentu, his verbis. [Iam quis dubitet magnum aliquid in causa fuisse, ut maiestas tanta de tam longinquo, in locum tam indignum descendere dignaretur? Planè magnum aliquid, quia misericordia magna, quia miseratio multa, quia charitas copiosa. Ad quid enim venisse credendus est: hoc namque est, quod iuxta propositum ordinem oporteat iam perscrutari. Nec sanè laborandum est in hac parte, cum manifeste aduentus eius causam, & verba ipsius & opera clament. Ad querendum quippe onem centesimam, quæ errauerat, de montibus properauit, & ut confiteantur manifestis Domino misericordiae eius, & mirabilia eius filijs hominum, propter nos venit.] Optimè omnino serm. ad Milites Templi c. 11. Adscribo clausulam tantum. [Christus igitur & peccata dimittere potuit, cum Deus sit: & mori, cum sit homo: & mortis moriendo soluere debuit, quia iustus: & omnibus vnus ad iustitiam vitamque sufficere: quandoquidem & peccatum & mors, ex vno in omnes processerant. Sed hoc quoque necessariò omnino nostrum est, quod dilata morte homo inter homines dignatus est aliquamdiu conuersari, quatenus crebris & veris locutionibus ad inuisibilia excitaret, miris operibus astrueret fidem, rectis moribus instrueret. Itaque in oculis hominum Deus homo, sobriè & piè conuersatus, vera locutus, mira operatus, indigna passus, in quo iam defuit nobis ad salutem? Accedat & gratia remissionis peccatorum, hoc est, ut gratis peccata dimittat; & opus profectò nostræ salutis consummatum est. Non est autem metuendum, quod donandis peccatis aut potestas Deo, aut voluntas passo, & tam passo pro peccatoribus desit, si tamen solliciti inueniamur dignè, ut oportet, & imitari exempla, & venerari miracula, doctrinæ quoque non existamus increduli, & passionibus non ingrati. Itaque totum nobis de Christo valuit, totum salutiferum, totumque necessarium fuit, nec minus profuit infirmitas quàm maiestas: quia et si ex Deitatis potentia, peccati iugum iubendo submouit, ex carnis tamen infirmitate mortis iniuriam moriendo conculsit. Vnde pulchrè ait Apostolus: *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Sed & illa eius stultitia, per quam ei placuit saluum facere mundum, ut mundi confutaret sapientiam, confunderet sapientes, quod videlicet, cū in forma Dei esset, Deo æqualis, semetipsum exinanivit, formam serui acci-

piens: quod dices cum esset, propter nos egenus factus est; de magno parvus, de celsis humilis, infirmus de potente: quod elurij, quod siti, quod fatigatus est in itinere, & cetera quæ passus est voluntate, non necessitate: hæc ergo ipsius quædam stulticia, nonne fuit nobis via prudentiæ, iustitiæ forma, sanctitatis exemplum? Ob hoc item Apostolus, quod *scitum est*, (inquit) *Dei, sapientius est hominibus*. Mors ergo à morte, via ab errore, à peccato gratia liberavit. Optimè S. Aug. lib. 1. de consensu Euang. c. ultimo, adducendus cum de Christo fidei Autore & consummatore.

Eodem recidit, quod dicitur, venisse Christum, ut homines faceret filios Dei.

21. Idem alijs verbis sonant, quæ Patres sæpè tradunt, venisse Christum ut filios hominum faceret filios Dei. Quia enim filiationi Dei adoptiva consistit in sanctificantis gratiæ adoptione; hæc autem supponit depulsa inimicitias Deum inter & hominem; propterea idem est, affirmare Christum venisse ut pro nobis satisfaceret, nostræque peccata curaret; ac affirmare, venisse ut nos ad dignitatem filiorum Dei subueheret, quod (ut dixi,) Patres sæpè tradunt. Profero nonnullos. S. Athanas. tract. de humana natura suscepta. [Ea ratione Filius Dei homo factus est, ut filij hominis, hoc est, Adæ, filij Dei efficerentur. Ipse enim in sublimi procreatus ex Deo sermo ineffabiliter, inexplicabiliter, incomprehensibiliter, æternaliter, in tempore nascitur humi, ex perpetua Deipara Virgine, ut illi, qui humi antea geniti erant, denuo in sublimi nascerentur, hoc est, ex Deo. Ipse igitur matrem dumtaxat habet in teris, & nos dumtaxat Patrem habemus in cælo, eaque de causa filium hominis seipsum appellat, ut homines Deum cælestem Patrem suum appellarent. Quemadmodum igitur nos ferri Dei, filij Dei effecti sumus, ita Dominus cælorum, filius sui serui effectus est, hoc est, Adæ. Accipiens enim mortalem hominem patrem, dedit hominibus suum Patrem immortalem, quod ex eo dicto apparet: *Dedit illis potestatem ut filij Dei essent*. Vnde quantum ad carnem attinet, mortem etiam gustat Filius Dei, idque ob suam carnalem patrem, ut filij hominis vitæ participes efficerentur, idque per suum ipsius Patrem spirituale. Ipse igitur ex natura Filius est Dei, nos autem ex gratia sue dono.] Et mox. [Ratio quæ est Filius Dei, unita carni, facta est perfectus homo, ut homines uniti Spiritui, unus Spiritus efficerentur. Ipse igitur est Deus carnigerus, & nos homines spiritigeri. Primitias enim sumens ex substantia hominum, hoc est, ex semine Adæ, in quo quidem est serui forma, & in similitudine hominis factus, dedit nobis ex substantia Dei primitias sancti Spiritus, ut omnes redderemur filij Dei in similitudine Filij Dei. Ergo ipse verus & naturalis Dei Filius, nos omnes gestat, ut nos omnes, vnum gestemus Deum.]

Nazianz. orat. 1. proposita medicina spirituali: [Hic (inquit) scopus est, animæ pennas addere, ac mundo eam eripere, Deoque dare, diuinamque imaginem, aut manentem conseruare, aut periclitantem fulcire, aut dilapsam in pristinum statum reuocare; Christumque per Spiritum sanctum in pectoris domicilium admittere, atque ut summam dicam, eum qui superni agminis sit, Deum efficere, ac supernam beatitudinem ipsi comparare. Huc magistra lex tendit; huc inter Christum & legem interiecti Prophætæ; huc spiritualis legis perfectior & finis Christus; huc exinanita Deitas; huc assumpta caro; huc noua illa mixtio, Deus, inquam, & homo, vnum ex utroque, & vtrumque per vnum: Ob hanc causam Deus animæ interuentu carni iunctus est, ac res inter se disiunctæ ac dissidentes, per

interpositæ rei cum utraque earum affinitatem & cognationem, copulatæ sunt.]

23. S. Augustinus epistola 120. cap. 4. [Descendit ille ut nos ascenderemus, & manens in natura sua, factus est particeps naturæ nostræ; ut nos manentes in natura nostra, efficeremur participes naturæ ipsius. Non tamen sic: Nā illū naturæ nostræ participatio non fecit deterioiorem: nos autem facit illius participatio meliores.] Et mox, notat Apostolum ad Gal. 4. cum dixisset misisse Deum Filium suum, subiunxisse missionis causam, nempe, ut adoptionem filiorum reciperemus. [Ut videlicet gratiam beneficii, discerneret ab illa filij natura, qui missus est Filius, non per adoptionem factus, sed semper genitus Filius; ut participata natura filiorum hominum, ad participandam suam naturam adoptaret filios hominum. Quapropter etiam cum dixisset: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, modumque adiunxisset, ne carnalis intelligeretur natiuitas, quod scilicet eis præstiterat, ijs qui credunt in nomine eius, & per gratiam renascuntur spirituales, non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo; mox commendauit quasi huius vicissitudinis Sacramentum. Tanquam enim mirati tantum bonum non auderemus optare, statim subiunxit. *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. Tanquam diceret: ô homines nolite desperare vos fieri posse filios Dei, quia & ipse Filius Dei, hoc est, Verbum Dei, caro factum est, & habitauit in nobis. Reddite vicem, efficiamini spiritus & habitate in illo qui caro factus est, & habitauit in vobis. Neque enim iam desperandum est, participatione Verbi fieri posse homines filios Dei, quando Filius Dei, participatione carnis, factus est filius hominis.] Et lib. 21. Ciuit. cap. 15. [Quotquot Spiritui Dei aguntur, hi filij Dei sunt, sed gratia, non natura. Vnicus enim natura Dei Filius, propter nos misericordiâ factus est filius hominis, ut nos natura filij hominis, filij Dei per illum gratia fieremus. Manens quippe immutabilis, naturam nostram in qua nos susceperat, susceptæ à nobis; & tenax diuinitatis suæ, nostræ infirmitatis particeps factus est, ut nos in melius commutari, quod peccatores mortalesque sumus, eius immortalitatis & iustitiæ participatione amittamus; & quod in natura nostra bonum fecit, impleti summo bono in eius naturæ bonitatem seruiamus. Sicut enim per vnum hominem peccantem, in hoc tam graue malum deuenimus; ita per vnum hominem eundemque Deum iustificantem, ad illud bonum tam sublimè veniemus.]

S. Bernardus serm. 1. in Vigil. Nati. Dom. [Quare Filius Dei factus est homo, nisi ut homines faceret filios Dei?]

24. Claudant agmen, qui attento ætatis ordine illud docere debuerant, S. Irenæus & Clemens Alex. Ille lib. 3. contra hæres. c. 29. vbi impugnans Ebionæos affirmantes Christum esse putum hominem; [Perseuerant (inquit) in carne mortali, & sunt debitoi mortis, antidotum vitæ non accipientes. Ad quos verbum Patris ait, suum munus gratiæ nartans: *Ego dixi, Dy estis & filij excelsi omnes: vos autem sicut homines moriemini*. Ad eos indubitatè dicit qui non recipiunt munus adoptionis, sed contempnunt Incarnationem puræ generationis verbi Dei, fraudantes hominem ab ea ascensione quæ est ad Dominum, & ingrati existentes Verbo Dei, quod Incarnatum est propter ipsos. Propter hoc enim Verbum Dei homo, & qui Filius Dei est, filius hominis factus est, commixtus Verbo Dei; ut adoptionem percipiens, fiat Filius Dei. Non enim poteramus aliter incorruptelam & immortalitatem accipere, nisi adunati fuisset incorruptelæ & immortalitati. Quemadmodum autem adunari possemus incorruptelæ & immortalitati, nisi prius incorruptelæ & immortalitas, facta fuisset id, quod & nos, ut

ablor

absolueretur quod erat corruptibile ab incorruptela, & quod erat mortale ab immortalitate; vt filiorum adoptionem perciperemus? Non est huius loci excutere fallum sensum quo aliqui hunc S. Irenæi locum acceperunt, sed eos refellimus infra lib. 5. sect. 2. cap. 1. Itaque nunc de eo loco fiat esto.

Clemens vero Alexandrinus, in protreptico sic scribit. [Ipse tibi loquitur Dominus, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratu est esse se æqualem Deo. Scilicet autem exinamio miseris Domini hominem seruire cupiens, & ipse iam tibi verbum euidenter loquitur, ægri ferens incredulitatem. Ego uenit loqui, Dei Verbum factus est homo, vt tu quoque dicas ab homine quam tandem ratione homo efficiatur Deus.]

Synbolice finem propositum aduentus Christi, ægri ferat quæ ex Evangelio secundum Aegyptios his verbis refert Clemens Alexandrinus 3. Strom. c. 6. [Hunc ipsum dixisse Seruatorem, *Veni ad dissoluendum opera fœminæ*: Fœminæ quidem, cupiditatis: opera autem, generationem & interitum. Quid ergo dixerint; soluta est hæc administratio? Non dixerint. Manet enim mundus in eadem œconomia. Sed non falsum dixit Dominus. Reuera enim opera dissoluit cupiditatis, uariationem, contentionem, gloriæ cupiditatem, mulierum solanum amorem, prædicatū, ingluuiem, luxum & profusionem, & quæ sunt his similia. Horum autem ortus, est animæ interitus; siquidem delictis mortui efficiuntur. Ea uero fœmina, est intemperantia.]

Salus nostra, non modo passibilitatis, sed etiam Christi substantiæ, finis proximus fuit.

21. Ex his ergo Scripturarum & Patrum locis, perspicue habetur, proximam finalem causam aduentus Christi, & immediatum motum diuini consilij in exsequendo mirabili hoc opere, fuisse salutem nostram, omnibus illis quos dixi effectibus comprehensam; nempe, satisfactionis & meriti pro nobis, præter eruditionem quæ nobis iisdem à Christo obuenit. Et quoniam extra omnem controuersiam sit, circumstantiam passibilitatis Christi ex solo peccato ortum habuisse, vt habet dilectissimè S. Gregor. lib. 3. mor. c. 11. tamen ipsam quoque Christi substantiam ad peccati nostri ablationem, & salutis nostræ negotiationem fuisse à Deo destinatam, Patres infinites produunt. Nec autem uolenter tam perspicua & expressa loca, possunt (vt quidam faciunt) restringi ad solum modum quo Christus aduenit; hoc est cum carne passibili Scripturæ enim prædicat, & Patres, simpliciter & absolute dicunt, Christum uenisse propter nos & salutem nostram; & propter eam, Deum factum esse hominem. At hæc uerba non spectant ad nudam circumstantiam passibilitatis, sed absolute ad Christi substantiam. Nec enim de aliorum Dei operum finali causa quoad eorum substantiam agitur, solent Scripturæ aut Patres aliter loqui, quam reuera loquantur de Christo, cum pro fine eius proferunt liberationem & salutem nostram. Et mirum esset, Scripturas & Patres à quibus hoc uerus Christi finis celebratur, eum perpetuo obtrudere, si non esset finis substantiæ Christi; semper autem ingerere finem alium, qui non nisi vnā circumstantiam spectet, sitque accessorius dumtaxat, ac ne accessorius quidem quoad Christum ipsum, eiusque substantiam quam nullo modo finalizet. Quare indubitum uidetur, salutem nostram esse Christi finem, etiam quoad substantiam suam: siue præterea alius aliquis finis eiusdem substantiæ Christi, adiungendus sit saluti nostræ, siue non sit adiungendus, de quo postea. Quia uero prædicta Scripturæ & Patrum loca simpliciter intellecta, (vt sunt sanè simpliciter intelligenda cum nihil obstat,) sonant causam finalem pri-

mariam & non dumtaxat impulsuam, necessarium est admittere, eum quem dixi finem non esse impulsuam tantum, sed etiam primarium; siue solitarius mouerit, siue non, quod iam non querimus. Et quamquam non cōueniat inter Autores, quid sit finis primarius ac simpliciter dictus, & quomodo ab impulsu differat, vt latè versat Tiraquellus tract. *cessante causa*, limitatione 1. & breuiter Sanchez l. de voto cap. 2. n. 38. Notiotamen finis simpliciter dicti, quam in salutem nostram uolo cadere respectu mysterij Incarnationis, in eo sita est, quod ita animum moueat, vt vi huius actus cessatura esset uoluntas, si finis ille secluderetur. Impulsus autem finis dicitur is, qui tantum facit vt uoluntas celerius aut lubentius, aliōve simili modo feratur in effectum, in quem nihilominus vi præsentis uolitionis ferretur, quamuis deesset ea causa impellens. Ita utramque hanc causam exponunt varij DD. apud Sanchez lib. 4. de voto cap. 2. num. 38. & seqq. Salus itaque nostra, aut quod idem est destructio peccati, est Incarnationis & Christi causa finalis simpliciter dicta, non autem dumtaxat impulsua. Tamen contrarium sentit Scotus in 3. d. 7. q. 3. lura B. arbitratu salutem nostram fuisse dumtaxat causam finalem simpliciter dictam respectu passibilitatis Christi non autem absolute & simpliciter respectu Christi. Sed melius D. Bonauent. in 3. d. 1. art. 2. q. 2. pronunciat, quod diximus magis consonum esse pietati fidei, quæ simpliciter docet Christum propter salutem nostram uenisse, quod non diceret, si salus nostra fuisset tantum finis impulsus diuini huius operis, ac non simpliciter dictus.

Consultò porro vocaui hunc Christi finem, immediatum & proximum, quia si ageretur de fine remoto & ultimo, dubitare non liceret, quin is esset Dei gloria, quæ est ultimus finis operum Dei quorumcumque, vt Sapiens docet Proverb. 1. 6. ac proinde etiam Christi finis esse debet, vt optimè notauit Aureolus in 3. d. 1. q. 1. art. 5. propterea uocans gloriam diuinam *finem perfectiorem*, salutem autem nostram *finem ex hoc fine prouenientem*: quia hic finis proximus, ordinatur ad ultimum illum finem diuinæ gloriæ. Verum hic finis quia est quasi transcendens, & per omnes diuinos effectus uagatur, uix solet specialiter exponi cū de diuinorum operum fine agitur. Itaque obiter dumtaxat hic eius memini.

vsus doctrinæ, quadruplex.

26. Vnus doctrinæ de Christi satisfactione pro nobis, præter sensum grauitatis peccati quem ingenerat, esse potest suspensio infinitæ Dei bonitatis, qui lætus satisfaciatur. Audi Goffridum Vindocin. serm. 2. de nativ. Dom. in fine. [O inestimabilis Dei & Domini nostri Iesu Christi circa peccatores benignitas! ô ineffabilis misericordia! ô misericordia inenarrabilis! ô admirabilis patientia! Quæ enim maior benignitas, siue misericordia, humilitas vel patientia peccatoribus exhiberi potuit, quam ut ipse Deus, se contemnens fieret pretiū hominis ut contra Deū peccaret homo, & Deus poenitentiam faceret pro peccato: homo etiam contra Deum se uenit; læuienti autem Deus propitiaret: formam serui cœli & terræ Dominus assumeret, in qua ipse pennis uerus eluriret, fons viuus sitiret, uirtus firmissima infirmeretur, immortalis uita pro suo interfectore moreretur? Quicquid boni in terra exhibuit Deus, pro homine fecit: & quicquid mali sustinuit, ab homine & pro homine fuit. Quid ad hæc, fratres, cogitabimus? quid dicemus? quid faciemus, cum Deus talis sit circa nos, quod melior esse non possit; & nos tales contra eum simus, quod penè peiores esse non possumus.]

Addendus etiam est huius doctrinæ vsus ille, quem his uerbis expressit Origenes hom. 24. in Num. *sub*

finem. [Semetipsum Deo offerre, & non alieno labore sed proprio placere, hoc est perfectius & eminentius omnibus votis. Hoc qui facit, imitator est Christi. Ille enim dedit homini terram, mare & omnia quæ in eis sunt ad obsequium; dedit & Cælum, Solem quoque & lunam ac stellas hominum ministerio concessit; pluvias, ventos, & omne quicquid in mundo est, hominibus largitus est. Sed post hæc omnia semetipsum dedit. Sic enim dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenitum daret pro mundi huius vita. Quid ergo magnum faciet homo, si semetipsum offerat Deo, cui ipse se prior obtulit Deus?]

27. Subijciamus quoque usum tertium eiusdem doctrinæ ex S. Gregorio 8. moral. cap. 15. ad illud: *Neque cognoscat eum amplius locus eius.* Sic enim hæc verba exponit de Christo acerbè latro si ex eius adventu ad nos, propter nos, proficere negligamus. [Locus hominis sed non localis, ipse scilicet conditor exitit, qui hunc ut in semetipso consisteret, creavit. Quem nimirum locum tunc homo deseruit, cum seductoris verba audiens à conditoris amore discessit. Sed cum omnipotens Deus redimendo se homini etiam corporaliter ostendit, ipse, (ut ita dixerim) fugitivi sui vestigia subsequens, ad retinendum quem amiserat hominem, locus venit. Si enim appellari locus nequaquam conditor posset, Deum laudans Psalmista non diceret: *Fili seruatorum tuorum habitabant ibi*. Ibi enim non dicimus, nisi cum locum specialiter designamus. Sed sunt plerique qui etiam post perceptum Redemptoris auxilium, ad desperationis tenebras deuoluuntur, & tanto nequius pereunt, quanto & oblata remedia misericordiae contemnunt. Recte ergo de damnato homine dicitur: *Neque cognoscat eum amplius locus eius*, quia à conditore suo tanto tunc distictius in iudicio non cognoscetur, quanto nunc ad reparationis gratiam nec per dona tenetur. Vnde & notandum summopere est, quod non ait: *Neque cognoscat amplius locum eius.* Dum enim cognitio non homini, sed loco tribuitur, patenter ipse conditor loci nomine designatur, qui distictus ad examen ultimum veniens, in iniquitate duratibus dicit: *Nescio vos unde sitis.*]

Colligere 4. indidem licet, quanta res sit homo pro quo Deus Filium suum addixit. S. Chrysost. hom. de profectu Evangelij (post homilias in epistolam ad Philipp.) sic id exprimit. [Homo dignissimum Dei animal, & propter quem unigenito suo Pater non pepercit. Non enim mihi hoc dicas, quod sit fugitiuus quispiam, vel latro, vel fur, vel facinorosus, vel quod sit pauper, abiectus, vilis, & nullius fugis, sed cogites quod & pro ipso mortuus est Christus; sufficere tibi, utpote idonea sollicitudinis causa. Cogita quantum illum esse necessarium sit, quem tantus Christus ita appetitatus est, ut nec sanguini suo pepercerit. Neque enim, opinor, si Rex pro aliquo occidi vellet, quæreremus argumentum aliud, num magnus quispiam ille sit, quem Rex tanti facit. Non equidem opinor, sed sufficiens est mors eius qui mortuus est, ut ostendat, quantæ charitatis fuerit erga illum. Nunc verò cum non homo, non Angelus, non Archangelus, sed ipse cælorum Dominus, ipse unigenitus Dei Filius, carne vestitus tradit semetipsum pro nobis ad mortem: si non omnia fecerimus, & attentauerimus, ut homines tanto pretio redemptos, in omni cura habeamus, qua nos tuebimur defensione: quam veniam impetabimus? Et hoc ipsum, Paulus indicans, dicebat: *Ne cibo tuo perdas illum, propter quem Christum mortuus es.* Volens enim eos qui despiciebant & contemnebant fratres infirmos castigare, & in officio continere, ut perduceret eis habendam proximorum curam, hanc vnicam rationem pro omnibus dedit.] Recole dicta superius hoc ipso capite, de vilius illis quæ Deus per Christi aduentum nos docuit. Ibi enim & hic vsus huius do-

ctrinæ iam est propositus, & alij æquè huc pertinentes.

CAPVT II.

Indubitatum quoque est, salutis nostra per Christum negotiationem, siue satisfactionem pro nobis, vndeunque perfectam ac superabundantem fuisse.

28. V. Eni itaque Christus peccatores saluos facere, & liberare de potestate tenebrarum, cui omnes ob peccatum primi parentis ad ipsos cum semine transfusum; & insuper plerique ob propria peccata actualia, subiacebant. Hoc constituto tanquam certissimo, aliud item statuendum est inter Doctores planè certum, nempe, Christi pro nobis satisfactionem, quæ pretium fuit ac lytrum redemptionis nostræ, non perfectam modò, sed etiam plusquam perfectam & superabundantem fuisse, cum prout meritoriam, tum prout purè satisfactoriam. Hoc tamen præcipuissimum, ac vt dixi, apud DD. certum, tamen excutendum ac stabiliendum est, ne gratis concessum, & non solidè constitutum videatur.

Christi pro nobis Satisfactio, perfectissima.

Satisfactionem igitur pro nobis à Christo exhibitam, fuisse vndeunque perfectam, siue prout meritoriam, siue prout presæ ac propriè satisfactoriam, extra controuersiam est. Nam prout meritoria quidem, adæquauit præmium, illudque summo iure obtinuit, & omnibus veri ac presæ accepti meriti conditionibus ac dotibus splenduit. De quo ex generali tractatione de merito liquere potest, & sigillatim aliquid attingendum erit, tractando Christi voluntatem liberam, eiusque fructus. Hæreamus itaque in satisfactione propriè dicta, seu destinata ad iniuriæ reparationem. Hanc vt liqueat prodixisse à Christo pro nobis perfectam, percurrenda obiter sunt conditiones perfectæ satisfactionis, cum generaliter acceptæ, tum sigillatim eius quæ debetur Deo pro iniuria qua peccatum violatur.

Satisfactionis conditiones generales.

29. Priores expendi lib. 3. de virtut. ad num. 283. tractando actus iustitiæ commutatiuæ, quibus satisfactio annueratur quatenus est repositio eius quod debetur pro nuda iniuria, spectata præcisè à damno illato. Deberi enim pro iniuria sic sumpta aliquid præter id quod pro damno rependendum est, monstrari loco allegato, num. 284. adducto loculento in eam rem S. Anselmi loco, ex lib. 1. cur Deus homo cap. 11. Vidimus igitur eo loco, veram quamconque & perfectam satisfactionem, ex parte satisfaciens præter communes omnibus bonis actibus conditiones, nempe libertatem & honestatem, postulare ut sit actus alio iustitiæ titulo indebitus, nullaque creditoris gratia siue remissione inmutatus. Nam cum satisfactio sit actus iustitiæ, æquè ac restitutio, iustitiæ autem postulet reddi æquale, planè sequitur quantum gratiæ ac indulgentiæ de iure suo remittentis, intrinsecè in ipsa æqualitatis inductione adhibetur, tantum deesse æqualitati illi quæ rependenda erat. Quam item constat plenam non fore, si opus aliàs iustitiæ titulo debitum, offeratur ad dissoluendum hoc nomen, & diuersum hoc iustitiæ debitum extinguendum. Quia verò iustitiæ intrinsecè respicit debitum, non debet autem satisfactionem nisi qui læsit; propterea addebam citato loco, satisfactionem, vt plena ac perfecta sit, debere ab illo ipso qui læsit exhiberi, vel loco eius ab alio de læsi consensu. Hic enim